Per presens scriptum presentibus innotescat et posteris. quod ego FERRANDUS dei gratia Rex Toleti et Castelle concedo uobis Concilio de Toleto presenti et futuro: subscriptum priuilegium quod inueni ab illustrissimo auo meo Rege domno A. preclare memorie uobis prestitum in hunc modum.

Presentibus et futuris notum sit ac manifestum. quod ego Aldefonsus dei gratia Rex Castelle et Toleti. una cum uxore mea Alienore Regina et cum filio meo Ferrando. dono et concedo uobis Concilio de Toleto presenti et futuro ducentos morabetinos. annuatim in perpetuum percipiendos. de portatico porte de Bebsagra. quos expendatis in fabrica et reparatione murorum et turrium uille uestre. et in ceteris structuris clausure uille uestre necessariis. et ille qui redditus regales porte predicte porte de Bebsagra de manu regis tenuerit. persoluat uobis unoquoque anno. ducentos morabetinos in perpetuum de primis morabetinis quos inde receperit. Et ego predictus Rex F. ex assensu et beneplacito domne BERENGARIE Regine genitricis mee una cum fratre meo Infante domno Alfonso. dono in cambio uobis iamdicto Toleti Concilio. istos supradictos ducentos morabetinos. quos in prenominata porta de Bebsagra percipiebatis: ut eodem modo in Monte de Magam annuatim in perpetuum percipiatis. mandans atque precipiens. quod quicumque regales redditus montis de Magam de manu regis tenuerit: persoluat uobis unoquoque anno ducentos morabetinos. de primis morabetinis quos inde receperit. ad opus reparationum et structurarum murorum et turrium et clausure uille uestre. ut supra in priuilegio continetur. Siquis uero contra hoc factum meum uenire presumpserit. et hanc meam cartam infringere attemptauerit. iram dei omnipotentis plenarie incurrat. et insuper regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud Toletum. xv. die Madii. Era. M. CC. L. septima. Anno regni mei secundo.

Et ego Rex F. regnans in Toleto et Castella hanc cartam quam fieri iussi. manu propria roboro et confirmo.

Rodericus Toletane sedis Archiepiscopus hispaniarum primas confirmat.

Mauricius burgensis episcopus confirmat.
Tellius palentinus episcopus confirmat.
Geraldus secobiensis episcopus confirmat.
Rodericus segontinus episcopus confirmat.
Melendus oxomensis episcopus confirmat.
Garsias conchensis episcopus confirmat.
Dominicus abulensis episcopus confirmat.
Dominicus placentinus episcopus confirmat.
Johannes domini Regis Cancellarius Abbas sancti Andree confirmat.

Rodericus didaci confirmat.
Aluarus didaci confirmat.
Alfonsus telli confirmat.
Johannes gonçalui confirmat.
Rodericus roderici confirmat.
Suerius telli confirmat.
Guillelmus gonçalui alcaidus Toleti confirmat.
Garsias ferrandi maiordomus Regine confirmat.
Gonçaluus petri maior merinus in Castella confirmat.

Egidius iussu Cancellarii scripsit.